ARTICULI
PACIS & AMICITIÆ,

INTER

Serenissimum & Potentissimum Principem

CAROLUM II.

Dei Gratiâ *Magnæ Britanniæ*, *Franciæ*, & *Hiberniæ* Regem, Fidei Defensorem, *&c.*

ET

Celsos ac Præpotentes Dominos

ORDINES GENERALES

Fœderatarum Belgii Provinciarum;

Conclusi apud *Westmonasterium* $\frac{9}{19}$ die *Februarii*, Anno Domini, $167\frac{3}{4}$.

LONDINI,

Excudebant Assignati *Johannis Bill* & *Christophori Barker*, Regiæ Majestatis Typographorum. $167\frac{3}{4}$.

CUM PRIVILEGIO.



Articuli Pacis & Amicitiæ, *inter Serenissimum & Potentissimum Principem* CAROLUM II. *Dei Gratiâ Magnæ* Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ *Regem Fidei Defensorem, &c. Et Celsos ac Præpotentes Dominos Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum.*

I.



Onclusum & Concordatum est, quòd ab hoc usque die sit firma, sincera & inviolabilis Pax, Unio, & Amicitia inter Serenissimum & Potentissimum Dominum *Magnæ Britanniæ* Regem, ac Celsos & Præpotentes Dominos Ordines Generales *Fœderati Belgii*, eorúmque respectivè subditos, tàm intra quàm extra *Europam*, in omnibus utriusque

Partis Regionibus, Dominiis, & locis quibuſcunque.

II.

Et quò vera iſthæc Unio inter præfatum Sereniſſimum Dominum Regem Magnæ Britanniæ,& dictos Dominos Ordines Generales citiùs effectum ſuum ſortiatur, Conventum ab iis & concluſum eſt,Quòd immediatè poſt promulgationem hujus Tractatûs Pacis, omnes actus Hoſtilitatis ab utrâque Parte ſtatìm prohibeantur,neque ullum Diploma, Commiſſio vel Inſtructio privatìm vel publicè, directè vel indirectè,ab alterutrâ Parte detur, nec foveatur aut ullo modo permittatur ad infeſtandum,aggrediendum,oppugnandum vel ſpoliandum alterutrius res, Dominia vel ſubditos ; verùm è contrario ſubditis utriuſque Nationis ſtrictè mandetur, ut ubivìs locorum pacatè ſe invicem gerant & amicé.

III.

Quoniam verò diſtantiæ locorum adeò variæ ſunt, ut mandata & directiones reſpectivè Superiorum ad omnes ſubditos ſuos eodem

eodem tempore pervenire nequeant, visum est pro actibus Hostilitatum aut vi in utramvis Partem committendâ, hosce limites subsequentes statuere; videlicèt, Quòd post expirationem Duodecim dierum Publicationem hujus Tractatûs proximè sequentium nulla committatur hostilitas à Termino in Occidentali Plagâ Canalis Britannicæ, vulgò *The Soundings* appellato, usque ad alterum Terminum qui *Naz* dicitur in Norvegiâ; neque post finem Sex septimanarum à dicto Termino *The Soundings*, usque ad Civitatem Tingitanam; neque post finem Decem septimanarum in Oceano, Mari Mediterraneo, vel ullibì aliàs inter dictam Civitatem Tingitanam & Æquatorem; neque post finem Octo Mensium in ullâ Orbis Regione; Et quicunque actus hostilitatis post expirationem prædictorum Terminorum cujusvis prioris Commissionis, Literarum Represaliæ aut similium prætextu commissi fuerint, pro illegitimis habebuntur, & actores ad reparationem & satisfactionem faciendum tenebuntur, atque ut Publicæ Pacis violatores punientur.

IV. Præ-

IV.

Prædicti Ordines Generales Unitarum Provinciarum debitè ex parte Suâ agnoſcentes jus ſupramemorati Sereniſſimi Domini Magnæ Britanniæ Regis ut Vexillo Suo in Maribus infrà nominandis honos habeatur, Declarabunt & Declarant, Concordabunt & Concordant, Quòd quæcunque Naves aut Navigia ad præfatas Unitas Provincias ſpectantia, ſive Naves Bellicæ ſive aliæ, eæque vel ſingulæ vel in Claſſibus conjunctæ, in ullis Maribus à Promontorio *Finisterræ* dicto, uſque ad medium punctum Terræ *Van Staten* dictæ in Norvegiâ, quibuſlibet Navibus aut Navigiis ad Sereniſſimum Dominum Magnæ Britanniæ Regem ſpectantibus obviàm dederint, ſive illæ Naves ſingulæ ſint vel in numero majori, ſi Majeſtatis Suæ Britannicæ Apluſtrum ſive Vexillum *Jack* appellatum gerant, prædictæ Unitarum Provinciarum Naves aut Navigia vexillum ſuum è mali vertice detrahent & ſupremum velum dimittent, eodem modo paríque honoris teſtimonio, quo ullo unquàm tempore aut in ullo loco antehàc uſitatum

tatum fuit versus ullas Majestatis Suæ Britannicæ aut Antecessorum Suorum Naves ab ullis Ordinum Generalium Suorúmve Antecessorum Navibus.

V.

Quandoquidèm Colonia *Surinam* dicta, & Articuli super ejusdem deditione facti Anno 1667. inter *Gulielmum Biam* tunc temporis illius Coloniæ Præfectum pro Serenissimo Domino Magnæ Britanniæ Rege, & *Abrahamum Quirini* pro supradictis Dominis Ordinibus Generalibus, in eorum executione multas Differentiarum ac Disceptationum occasiones dederint, multúmque contribuerint malæ intelligentiæ quæ inter Majestatem Suam Britannicam & prædictos Ordines Generales nupèr nata est; quò omnes errorum causæ in futurum penitùs amoveantur, prædicti Ordines Generales per hasce præsentes concordant, & cum supranominato Serenissimo Domino Magnæ Britanniæ Rege conveniunt, Quòd non solùm prædicti Articuli plenam sortientur executionem absque ullâ tergiversatione vel æquivocatione; Sed etiàm quòd

Majestati

Majeſtati Suæ Britannicæ liberum erit unum aliquem aut plures eò deputare qui conditionem ſubditorum ſuorum ibì manentium explorent, & cum iis de tempore diſceſſûs ſui conveniant; quódq; Majeſtati Suæ licitum erit unam, duas, vel tres Naves unâ vice eò mittere, quæ Majeſtatis ſuæ ſubditos unà cum rebus, bonis & ſervis ſuis accipiant aſporténtque; Quódque Præfectus qui tum fuerit pro dictis Ordinibus Generalibus nullam legem vel feret vel exequetur quâ emptio aut venditio terræ, debitorum ſolutio aut bonorum commutatio ullo alio modo ſe habeat ratione Anglorum quàm ſicùt versùs omnes alios illius Coloniæ Incolas uſitatum fuit vel erit; Sed quòd quamdiù ibì remanſerint, iiſdem legibus & privilegiis actiones intentandi pro eo quod ipſis debetur, ſolvendi id quod illi debent, pactáq; ſtipulationes & Contractus faciendi fruantur, quibus alii Incolæ communitèr fruuntur. Et quandocunque Majeſtas Sua Britannica ſufficientes & authenticas Literas ab Ordinibus Generalibus ad illius Coloniæ Præfectum poſtulaverit, tàm ut dicti Angli indè diſcedant, quàm ut

Naves

Naves eò (ſicùt prædictum eſt) mittendæ admittantur, prædicti Ordines Generales intra ſpacium Quindecim dierum poſt tale poſtulatum cuicunque Perſonæ à Majeſtate Suâ Britannicâ in eum finem deputatæ plenas & ſufficientes Literas atque Inſtructiones ad Præfectum illius Coloniæ tradent, tàm ut ſinat dictas Naves liberè appellere, quàm in illas intrare tales Majeſtatis Suæ ſubditos qui ſe velle diſcedere profitebuntur, cum bonis & ſervis ſuis eò tranſvehendos quò Majeſtas Sua ſtatuerit.

VI.

Concluſum & Concordatum eſt, Quòd quæcunque Terræ, Inſulæ, Oppida, Portus, Caſtella, aut Fortalitia ab unâ Parte capta ſunt vel erunt ab alterâ, ex eo tempore quo nuperum infelix Bellum erupit, ſive intra Europam vel alibi, & ante expirationem Terminorum ſuprapoſitorum pro Ceſſatione Hoſtilitatis, priori Domino ac Proprietario reſtituentur in eâdem planè conditione quâ fuerint tunc cum Pax iſta promulgabitur: Poſt quod tempus nulla erit expilatio vel direptio

reptio Incolarum, nulla Fortalitiorum demolitio, nec asportatio Tormentorum, pulveris, vel ullius Bellici apparatûs, quæ ad ullum Castellum aut Fortalitium pertinebant eo tempore quo captum erat.

VII.

Quòd Tractatus Bredæ conclusus Anno Domini 1667. sicut etiàm omnes alii præcedentes Tractatus per illum Tractatum confirmati, renoventur & maneant in plenâ vi ac vigore, in quantum præsenti Tractatui nullatenùs contradicunt.

VIII.

Quòd Tractatus Marinus *Hagæ-Comitis* inter Partes utrásque, Anno Domini 1668. conclusus, continuetur pro spatio Novem Mensium post hujus præsentis Tractatus publicationem, nisi per subsequentem Tractatum alitèr provisum fuerit; intereà autèm ut considerratio Novi super hâc re Tractatûs ad eosdem Commissarios referatur, ad quos Commercium per Indias Orientales in Articulo proximè sequenti referetur.

Quòd

Quòd ſi tales Commiſſarii intra Tres Menſes poſt primum Congreſſum ſuum in novum Tractatum Marinum ex voto non conſenſerint, tum res illa quoq; ad arbitrium ac diſpoſitionem Sereniſſimæ Dominæ Reginæ Regentis *Hiſpaniæ* referetur, eodem planè modo quo Commercii Orientalis Regulatio ad Majeſtatis Suæ Arbitrationem in dicto Articulo proximè ſequenti refertur.

IX.

Eò quòd à mutuâ & non turbatâ Commercii ac Navigationis libertate non ſolùm opulentia, ſed Pax etiàm utriuſque Nationis ſummoperè pendet, nihil magìs curæ eſſe debet utrique Parti quàm juſta & æqua Commercii Regulatio, & præcipuè in *Indiis Orientalibus*; Et tamèn quià res eſt maximi momenti, & multum temporis requiret ut firmi ac duraturi Articuli ad Satisfactionem & Securitatem ſubditorum utriuſque Partis conficiantur; Cùm tamèn languens & pœnè intermoriens plerarumq; *Europæ* Regionum conditio non minùs quàm duarum Partium in hoc Bello implicatarum, ad propeream

ram hujus Tractatûs Conclusionem anhelet, ſupramemoratus Sereniſſimus Dominus *Magnæ Britanniæ* Rex votis & deſideriis prædictorum Ordinum Generalium accedere dignatur, ut ejuſdem conſideratio æquali numero Commiſſariorum ab utrâque Parte nominandorum referatur; Iiſdem Ordinibus Generalibus ſpondentibus ut Illi quos Ipſi nominaverint *Londinum* mittantur ad Tractandum cum illis quos Majeſtas Sua Britannica paritèr à parte Suâ deputaverit; idque intra ſpatium Trium Menſium poſt hujus Tractatûs Publicationem: Numerus itèm Commiſſariorum utrinque nominandorum Sex erit perſonarum. Sin autèm poſt Tres Menſes quàm congreſſi fuerint, Eorum conatus non tàm felicitèr ſucceſſerint ut Tractatus indè concludatur, Capita inter Eos controverſa ad Arbitrationem Sereniſſimæ Dominæ Reginæ Regentis *Hiſpaniæ* referentur; Quæ undecim Commiſſarios nominabit, & quodcunque major eorum Pars determinaverit in differentiis non priùs compoſitis, id utramque Partem obligabit: Proviſo ſemper quòd judicium ſuum Declarent intra ſpacium Sex

Menſium

Mensium à die quo primùm congredientur; quod etiàm intra Spacium erit trium Mensium postquam Serenissima Domina Regina Regens *Hispaniæ* prædictum Arbitrium in se susceperit.

X.

Quòd cùm præfata Serenissima Domina Regina Regens *Hispaniæ* Majestatem Suam Britannicam assecuraverit, prædictos Ordines Generales, postquàm Pax concluderetur, Majestati Suæ Britannicæ Summam Octies Centenorum Millium Pataconum soluturos esse; Iidem Ordines Generales promittunt & paciscuntur dictam Summam 800000 Pataconum modo sequenti solvere, *viz.* Quartam ejusdem partem quamprimùm Ratificationes hujus Tractatûs mutuò extradentur, reliquum autèm tribus Annis proximè sequentibus per æquas portiones.

XI.

Quòd altè memoratus Serenissimus Dominus Rex *Magnæ Britanniæ* & præfati Celsi ac Præpotentes Domini Ordines Generales

Unitarum

Unitarum Provinciarum omnia & singula Capita in præsenti Tractatu conventa & stabilita, sincerè & bonâ fide observabunt, pérque suos subditos & Incolas observari facient, neq; illis directè vel indirectè contravenient, aut à suis subditis vel Incolis contraveniri permittent : omniáque & singula ut suprà conventa, per Literas Patentes manibus Suis subscriptas, Magnísque Sigillis Sigillatas ratihabebunt & confirmabunt in sufficienti, validâ & efficaci formâ conceptas & exaratas, easdémque reciprocè intra Quatuor Hebdomadas post datum Præsentium (vel citiùs si fieri poterit) tradent seu tradere facient, bonâ fide, realitèr & cum effectu.

XII.

Denique, Simulac dictæ Ratihabitiones utrinque exhibitæ, & reciprocè ritéque commutatæ fuerint, Pax ista promulgabitur *Hagæ-Comitis* intra spacium Viginti quatuor Horarum post Ratificationes ibì extraditas & commutatas.

Actum *Westmonasterii* $\frac{9}{19}$ die *Februarii*, *Anno Domini* 167$\frac{3}{4}$.

F I N I S.